Birzanowski Stanisl. Jos. Deliciae veris Calendae Maii, Deliciae Carmeli.

DELICIÆ VERIS,
CALENDÆ MAII,
DELICIÆ CARMELI,
AVSPICATISSIMA,

in Priorem Celeberrimi Conuentus Arenensis,

A

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRE,

P. M. MATTHÆO DE ORLANDO,

Totius Sacri Ordinis Carmelitarum,

PRIORE GENERALI, longè meritissimo,

COMMISSARIO, AC VISITATORE APOSTOLICO,

Admodùm Reuerendi in Christo Patris,

P. MARTINI CHARZEWICZ,

S. Th: Doctoris, PP. Carmelitarum Conuentus Crac: B. M. V. Arenensis,

PRIORIS DIGNISSIMI,

post exactum honorificè Prioratûs sui triennium, pro altero iterum triennio,

Confirmatio,

eiusdemq; felicissima, ipsis Calendis Maij,

Institutio,

boni Ominis, & gratulationis ergo,

A

M. STANISLAO JOSEPHO BIEZANOWSKI, *in Alma Vniuersitate Crac: Phil: Doctore, Collega Minore, Ord: Poës:* PROFESSORE,

publico sincerissimæ lætitiæ applausu, Officiosissimoq; cultu, & affectu,

EXCEPTA.

Anno Salutis 1673. Die IV. *Maij.*

Ipsâ nimirum S. FLORIANI Martyris, & Regni Poloniæ Patroni, floridissima die.

CRAC: Ex Officina SCHEDELIANA, S. R. M. Typ:

IN SACRVM INSIGNE
Antiquissimi, & Florentissimi Ordinis
PP. CARMELITARVM.



Ignea Zelantem gladium, quæ dextera vibrat;
Est vt amica bonis, sic inimica malis.
Fulgurat igne sacro, mucronem fortiter vrget,
Res quoties poscit, iustaq; causa Dei;
Temperat hunc Zelum, sed mox pietate paternâ;
Dulcia dum Zelat, viscera cordis habet.
Quisquis sic alijs, in munere præsidet alto;
Dignum Carmeli vertice, sidus erit.

DE-

DELICIÆ VERIS, CALENDÆ MAII.

Quid agimus bonæ mentes?
Ad Calendas Maias Venimus;
& hilares nobis grátiæ, mellitaq; cordis gaudia,
non incalescunt.
Flos temporis, Mensium gemma, anni corculum,
Maius est.
Adhuc ne pruinas cordis, veris deliciæ non soluunt?
Rerum Naturæ profectò improperat;
qui contra amœnam Orbis faciem, inamœno corde nititur.
Rigeant illi,
quorum frigida corda, æternum inuidiæ gelu constrinxit;
Sed quæ bonis alienis, congaudet vt suis,
innixa super dilectum, delicijsq; affluens,
Sancta mille gaudijs, liquescat charitas.
An verò,
Cor hic amantium tripudijs non subsiliat?
Vbi decor Carmeli, veris delicias sentit.
Non mouetur anima passibus, sed affectibus;
quæ cùm sincerissimâ lætitiâ agitur;
alatam Pegasi Soleam faciliùs, quàm pennas eius;
fluuiorumq; rapidissimos, quàm torrentem voluptatis eius contineat.
O ergo animorum innocentes deliciæ,
quotquot vbiq; estis!
gaudia vestra, super arenam Maris, in Arenensi Carmelo multiplicate;
Quando,
Sacra Calendarum Maij auspicia,
ad nouum Carmeli virorem,
Flos, & gemma virorum,

Adm: Rndus: in Christo Pater,

P. MARTINVS CHARZEWICZ,

feliciter cæpit.

Amænitas hæc cordium, Mensium amœnissimo seruata,
in Capite Maij, floridum Carmeli verticem coronare debuit;
vt bono omine prorogata,

Caput CHARZEVII aureum,

triennalis iterum præcingeret corona.
An verò in Violeto Arenensi, meritas ille non continuet coronas?
Quibus indeficientem plantationem solicitè prouidet;
cùm Basilicum Virginis opus, adeò strenuè continuat.
Vestiri eum duplicibus,
ab Augustissimâ Cælorum Imperatrice,
prorogato iterum honore decuit;
cui augustam tandem, in Solio Arenensi prouidere satagit,
Purpuram, & Coronam.
Inuenit eum in opere suo Virgo;
quidni pro se laboranti benediceret?
& cùm in vestimento eius, gemmas, & conchylia ponit;
quidni vestimento honoris indueret eum?

Inuenit eum,

Dum Heroico animo, fortia cogitat;
vt fiant,
lapides pretiosi, omnes Muri eius;
Propter eam, Basilicæ Arenensis pretiosissimam partem;
In qua Sacratissimo vultu, ad Metropolim Regni conuersa,

Ego Murus, & vbera mea turris,

Cracouiæ suæ, Diua Virgo loquitur;
Quidni generosis cogitationibus eius assistens;
dignum Capitolio suo Presidem,
dignum Paradyso Arenensi, cum Heliani Spiritus romphæa,

Cherubinum conseruaret!

Sed ô quantæ Tibi gratiæ!
Gratiarum omnium mellitissima Sedes,
quinimo Orbis deliciarum Paradyse Italia!
Prouidisti Calendis Maij, nouas in Sarmatia delicias;
Arenasq;

Arenaſq; , florum areolas,
Reuerendiſſimi in Chriſto Patris,
P.M. MATTHÆI de ORLANDO,
totius Sacri Carmelitici Ordinis,
PRIORIS GENERALIS,
Sapientiſſimo Decreto, eſſe iuſſiſti.
Nimirum,
quem ille ſummâ virtute, Authoritate, Sapientiâ regit;
etiam in diſtans agendo, decorem Carmeli promouet;
cùm decorem Domus Domini diligentibus, fauet.
Non Bellerephontis literas, Sacer eius Pegaſus;
Sed folia Sybillæ, ſed auream, pretioſoq; Darij ſcrinio dignam,
Confirmationis paginam tulit;
ſupra quam,
Manibus date lilia plenis;
quotquot inter lilia Carmeli, Parthenia animæ eſtis.
Oraculum hoc,
Quod ab aureo Romano tripode venit;
Virum vtiq; aureum,
MARTINVM CHARZEVIVM,
ferreâ Mundi ætate loquitur;
qui quod in omnium delicijs ſit;
non delicatis vtiq; laboribus, nec modico ſudore meruit.
Amor, & honor publicus, qui eum ſequitur;
Meritorum eius tributarius eſt.
Hoc egit in Cathedra,
Sapientiſſimus ſtudij Regens;
Hoc in Munere Prioratus, Arenenſis Conuentus,
dignisſimus Prior;
Hoc in ſumma Prouinciæ Polonæ Prælatura,
Optimus, & Vigilantisſimus Prouincialis;
Hoc deniq;, ex meritiſsimo Prouinciali,
Arenenſis iterum Prior;
vt in vinea Carmeli,
pondus diei, & æſtus, quàm ſtrenuè tulerit;

Opera

Opera eius loquerentur.
Tres ergo conformes, honorifici de se iudicij,
vt obtineat Sententias;
triennali iterum ponderi, iam assueta,
Atlas brachia supponit.
Sacer quippe Deo numerus ternarius est;
& funiculus triplex difficilè rumpitur.

Qui Tibi

Admodum Reuerende Pater,
MARTINE CHARZEWICZ,
Vt firmiùs cohæreat;
arctioribus eum, animorum complexibus stringimus;
Votisq́ connectendo vota, Nodũ in eo plusquam Gordium,
quia nullo vnquam Macedonis gladio rescindendum,
immortalitati consecramus.
Gaudete Sacri Carmeli vertices, germinate vt lilium,
& sicut Virgula aromatum fumigate!
Gaudete Suaueolentes Violeti Arenensis flosculi,
Niueæ Carmelitarum animæ, filij Prophetarum;

Implebit ille,

ex Oraculo Sancti PHILIPPI *Apostoli,*
cui Calendæ Maiæ sacræ sunt,
quod ad eum omnium vestrum corda loquuntur;

Quando,

qualem eum semper agnouistis, qualem ad delicias vsq; amâstis,
in cuius nunc triennalis iterum curæ viscera intratis,

Ostendet se vobis Patrem,
& sufficit Vobis.

Ne verò Maius Apollini Sacer, absq; cythara sit;
cùm Tibi, Calendarum Maij delicium,
triumphale viuat occino;
Cor in cytharam verto, canoq;.

FAllor? an rursus Violeta Magnæ Virginis, sacrum regimen gubernat

CHA-

CHARZEVI? quis me nouus vrget intus
Pectoris ardor?
Corde præsago, quid in ampliores
Mille votorum iubet ire plausus,
Læta mens vatem, mera mella dulci
Grandine stillans!
Sentio totis refluum medullis
Nectar; & vates loquor ipse mecum;
Quid mihi Maiæ dabitis Calendæ
Dulce, nouumq;?
Audio quid mî Zephyritis ipsa,
Suaue, dilectis feret ex Arenis:
Fallor? an votis animata fertur
Fama secundis?
Illa felici comitata plausu,
CHARZEVI Nomen geminat Prioris;
Perq; Carmeli iuga sacra, nomen
Dulce frequentat.
Nosco dilectum, Veneroq; Nomen;
Sæpe quod cordi cecinêre Nostro,
Gratiæ dulces, hilaresq; verni
Temporis horæ.
Roma quod carum sibi, gratioso
In sinu pridem fouet; atq; rursus
Ad triennales iubet ire curas,
Omine dextro.

Nempe Lechei graue pondus orbis,
Herculem poſcit, quod inauſpicato
Marte Thrax vrget, Geticuſq; latè
Mucro cruentat.

Hîc Tuus ſudet labor eſt neceſſe;
Hîc Tuum pectus, vigilet probatis
CHARZEVI curis, ſolitoq; rerum
Ferueat vſu.

Hîc Arenarum Sacer ille vultus,
Illa maieſtas Veneranda Diuæ,
Mille conſurgat clypeis, & alto
Robore cincta.

Hoc tuus curis aget expeditis,
Ternio felix, redeuntis ad Te
Muneris Sacri; Tibi Roma celſo
Quod dedit ore.

Approbat cælum, geminatq; vota;
Omne cor pſallit Tibi dulce viuat;
CHARZEVI iuſtis meritis parata,
Gloria viuat.